



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm

Dript, Laurentius a

Nevhsii, 1673

Caput Vigessimum. Quartum. Encomium Marianum Vigessimum Nonum.
Domus Aurea.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43641

CAPUT VIGESIMUM.

QUARTUM.

*Encomium Marianum Vigessimum
Nonum.*

DOMUS AUREA.

INnumerabilia fuere ornamenta & artificia quæ Regum sapientissimus in ædificio Domus suæ Regiæ, sed illis longe majora quæ in domo Domini extruxit: quanta enim pulchritudo & decor illius? quanta amplitudo? tanta ut quis cum Propheta exclamet: *O Israël quam magna est domus Domini & ingens locus possessionis ejus.* Tanta erat pulchritudo, ut omnia auro radiarent: *Columnæ aureæ super bases argenteas, candelabrum aureum, sanctum sanctorum:* Imo ut paucis multa complectar, nihil erat tam in domo saltus Libani, quam in domo Domini, quod non auro tegeretur. Talem ac tam sumptuosam domum *Salomon*, ad solius Arcæ fœderis custodiam & honorificam asservationem exædificavit. Verum

rum infinite digniorem majorib⁹ ornamē-
tis splendidam domum, Pater cœlestis u-
rigenito filio suo carnem assumpturo ædi-
ficavit, Virginem inquam sacratissimam ut
in ea habitaret & quiesceret: unde pijsime
Abbas Guerricus *serm. 1. in Assumpt.* sane in-
quit *omnium Beatorum beatissima est MARIA*
quæ de numero omnium electorum singulariter
est electa, & præelecta, quoniam elegit eam Do-
minus elegit eam in habitationem sibi dicens.
Hæc requies mea in saculum sæculi, hic habita-
bo quoniam elegi eam. Habitavit in ea novem
mensibus, habitavit cum ea & sub ea annis plu-
ribus. Habitans in ea replebat eam singulari
gratia charismatum, habitans cum ea, pascebat
eam incomparabili piorum suavitate morum,
& divinorum desiderabili sapientia sermo-
num, nunc autem in ea, & cum ea sicut inter-
minabili ævo, sic incomprehensibili modo habi-
tans satiat eam beatificantium gloria visio-
num, foris quidem glorificatæ carnis formam
exhibens, intus autem verbi glorificantis
formam imprimens: O MARIA ait Dominus
non vocaberis ultra derelicta, & terra tua non
vocaberis amplius desolata, ut quia Virgo, ideo
sis in-

sis in-

*sis infœcunda : sed vocaberis voluntas mea in
ea, id est dilectus filius meus in ea quia compla-
cuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur :
habitabit enim juvenis cum virgine, & habita-
bit in te filius tuus : imo si magis placet, ut minus
recedamus à verbis sapientia & scripturae : ha-
bitabunt in te filij tui.*

§. I.

Fuit autem hæc domus Domini am-
plissima & nobilissima : amplitudinem
ejus quivis facile æstimabit, si ad eum ocu-
los convertat qui in eadem habitaculum
habuit, si enim continentis latitudinem,
longitudinem, & profunditatem ex rei in
eodem contentę latitudine, longitudine &
profunditate, ritè pensamus : utique sacra-
tissimum illud continens, uterus virginalis,
habitaculum scilicet Patris & Filij & Spiri-
tus sancti immensum, omnemq; excedens
mensuram & dimensionem, sive secundum
longitudinem, sive latitudinem, sive pro-
funditatem fuisse indubium est : cum con-
tinuerit illum, qui cœlum & terram implet,
imo qui nec terræ nec cœli amplitudine
coarctari potest, ut non immerito eidem
accinat S. Mater Ecclesia : *Sancta & imma-
culata*

culata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio, quia quem cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

Salomon olim post absolutum templum cujus ædificationi ab eo septem, reædificationi ab Herode Aſcalonita & alijs quadraginta sex anni à tot artificib⁹ impensi sunt alloquens Dominum, sed numquid verè habitabit Deus cum homine super terram? Ecce cælum & cæli cælorum te capere non possunt, quanto minus domus hæc quam ædificavi? Ita est: non potuit domus à Salomone ædificata capere illum, quia magnus Dominus & magnitudinis ejus non est finis: Unde & philosophus DEI magnitudinem & immensitatem descripturus: Deus inquit est sphaera incircumscripibilis, cujus centrum ubique est, circumferentia autem nusquam: nihilominus hunc ipsum domus virginalis suis limitibus inclusit & coarctavit, ut an eam domum, an regnum, an cælum potius nominem ambiguus sim: In hac siquidem si Bernardo credimus habitavit Pater & filius, ut creator in mundo, Imperator in regno, Pater familias in domo, Pontifex in templo, sponsus in thalamo: prius enim altissimus eam sibi quasi mundum specialissimum creavit.

quam in sanctitate, & iustitia coram ipso fundaret, & fluentis sapientiæ irrigaret, & cœlestibus desiderijs instar scilicet aëris sublimaret & igne dilectionis accendendo illustraret. Ut potius mundum aut cœlum animatum cum *Drexelio*, quam domum auream nominemus.

§. 2.

IAm verò si hujus sacratissimæ Domus splendorem attentis oculis attendamus, tantam in ea pulchritudinem, tantum decorem & ornatum reperiemus, ut eam merito ab Ecclesia domum auream appellatam censeamus: ad eam siquidem exornandam tota sanctissima Trinitas concurrat: hinc in ejus mente ut ait *Bernardus tom. 5. mihi pag. 276. tanquam in quodam firmamento, solem posuit rationis, & lunam scientiæ & virtutis, tanquam stellas speciei omnimodæ, solem qui lucem divinæ cognitionis faceret, lunam quæ cum stellis actionem noctis splendidam redderet, & merito Domini est terra quia sic super maria fundavit eam: hujus quoq; divinissimæ domus fulgorem qua omnibus virtutum generibus interius exteriusque radiabat explicat *Simon Cassia lib. 2. Super Evan-**

*Sup. Evangel. Virgo divina inquit filia patris
 eterni, mater aeterni filijs habitaculum Spiritus
 sancti, plus habet in occultis suis quam capiat
 hominum mens, quam possit sermo perficere,
 quam scribi membranis, quam totam coopta vis
 sibi ille qui condidit, ad nil aliud quam ad di-
 vina perstruens, ut Dei mater esset & filia, mori-
 bus exterioribus signabatur mirifice, ut ne qui-
 dem motus corporis exorbitaret à iudicio ra-
 tionis. Tota in se formosa erat, & tota in virtu-
 tibus & actionibus forma exemplar aeterni ex-
 emplarum ut nil artificio caelestis mysterij, exer-
 cendorum morum, capessenda vitae atq; agenda
 inveniretur, quod non redderetur compossibi-
 le, atq; aptum in aedificio ascensionis in caelum.
 Vitium nihil in ipsa vendicabat, virtus regna-
 bat in pace, non habebat quod expugnaret: nec
 marcebat virtus ejus hoste sopito. Vivificae vir-
 tutes infusionum fundentes potius quam acqui-
 sitionum, adhaerebant ei ut praeter illam inter-
 nam intuitionem, qua Deitas videbitur quod
 sic est, communem siquidem quempiam in vir-
 tute insignem excederet viatorem.*

Beatissima proinde Virgo domus illa
 est dignissima, quam incarnando filio suo
 Pater caelestis construxit: ea in eadem col-

E e loca-

locans quę oculos tanti hospitis & filij delectarent, vacuam enim esse non decebat, sed excellentissime ornatam, ad quam talis hospes diversurus, novemque mensibus imo semper inhabitaturus erat: *Felix inquit Doctor Mellifluus mulier cujus domus salvatori suscepto inventa est munda quidem, sed plane non vacua, quis enim vacuam dixerit quam salutat Angelus gratia plenam? neque hoc solum sed adhuc quoque in eam super-venturum asserit Spiritum sanctum, ad quid putas nisi ut superimpleat eam? Quod si quæras quæ qualiave ornamenta illa fuerint quæ in ea Pater cœlestis Spiritus sanctus deposuit? respondet Doctor Mellifluus serm. de domo Sap. septem columnis eam ornatam fuisse, quas in ea Spiritus sanctus excidit: Quid inquit est in ea septem columnas excidere, nisi ipsam dignam sibi habitaculum fide & operibus preparare? nimirum ternarius numerus ad fidem, propter sanctam Trinitatem, quaternarius pertinet ad mores, propter quatuor principales, cardinalesque virtutes. Quod autem in Beata MARIA sancta Trinitas fuerit (fuerit dico per præsentiam majestatis) ubi solus filius erat per susceptionem humanitatis paranymphus*

phus ejus è cœlo missus contestatur dicens
*Ave gratia plena, Dominus tecum, & post
 pauca: Spiritus sanctus super veniet in te, &
 virtus altissimi obumbrabit tibi.*

Sic & virtutes cardinales, prudentiam,
 fortitudinem, temperantiam, justitiam,
 earumque partes tam potentiales quam
 subjectivas magnanimitatem, humilita-
 tem, castitatem, sobrietatem, abstinenti-
 am, humilitatem in ipsa & gradu quidem
 heroico, absque imperfectionibus fuisse,
 præterquam quod in diversis supra locis o-
 stensum est infraque ostendetur: pulcher-
 rimis tamen suis verbis ostendit *Sim. Cassia*
loc. cit. Prudentibus cunctis inquit ipsa pru-
dentior, dum præ omnibus id solum elegit quo
melius inveniri nequit: precavens quidquid
esse potuit minimum ad offensam, adinveniens
quidquid per rationem, & virtutem inhasitan-
ter placet. Iustitia ex omni sui perfectione assi-
stebatur, dum tota se reddidit ei, à quo tota in
subjecto natura processit, & ei super omnem
viatorem operata est gratia quam accepit, ex
qua existens in vacuum non tenuit minimam
sui partem. Fortis omnia vincens, à nulloq; vi-
cta, nec animo hebes ad opus decens impellebat

corpus. Numquam mente fracta ex magnis rerum eventibus, in fide magna nimis, in illa omnibus deficientibus non defecit. Hoc solum, sed sanctum & irreprehensibile habuit imbecille, quod in passione morteq; filij doloris gladio diverberata est. Fuisset enim severa mentis non fortis, non fieri illius altissimi filij consociam passioni. Et audacter dixerim ipsam præ ceteris decebat acriore dolore perfodi, hoc enim amplioris cognitionis, & excessivi amoris ratio suadebat. Regula modestiæ tenebatur, ut nihil plus sibi, nec in omnibus, quam ordo juris passabat adesset: Hæc ille.

§. 3.

Gillebertus de Hoylandia Abbas, super quem sicut super Eliseum spiritus Elie sic spiritus Bernardi quievisse videtur, comment. super hæc Cant. verba: Reclinat otium aureum in ea collocavit: per aurum divinam præsentiam intelligit in hunc modum differens: In Libano inquit pulchritudo, in argento confessio, in auro divina conspectus præsentia tibi commendatur: Et paulo post: Ad aureum reclinatorium invitatur, ubi Domini facies sine velamento sincere videtur & in auro rutilat majestas regia. Quod si igitur cum
pijsi-

pijsimo hoc auctore per aurum divinam
 præsentiā intelligere & interpretari vo-
 luerimus: liquido constabit Domum MA-
 RIANAM auream fuisse. Ubi enim magis
 præsens potuit esse conspectus divinitatis,
 quam in utero virginis, ex quo sibi carnem
 sanguinemque pro humanitate assumpsit
 ipsa divinitas? Accedit adhæc quod MA-
 RIA quemadmodum sentit *Abbas Guerri-*
cus serm. 1. in Annunt. sit Thronus Re-
 gius per Thronum *Salomonis* auro fulvo
 vestitum designatus: *In ipsa inquit & ex ipsa*
paravit sibi thronum ipsa sapientia, cum in ea
& ex ea corpus aptavit sibi, ita per omnia perfe-
ctum, & congruum, ut & Domus ei sit ad quies-
endum, & thronus ad iudicandum, quod pri-
mo fuit ei tabernaculum ad pugnandum, & ca-
thedra ad docendum: Nec minus ei con-
 gruere videtur quod sequitur auro fulvo
 vestitum thronum hunc fuisse: Profecto
 si interrogemus divinum illum *Dionys. A-*
reopag. convenientissimum huius rei nobis
 præbebit testimonium: Eiusdem enim
 splendorem, divinitatisque similitudinem
 indubie viderat cum diceret: *Testor Deum*
qui aderat in virgine, nisi me divina docuissent

eloquia, hanc Deum verum credidissem; quoniam nulla videri posset major gloria beatorum, quam felicitas illa quam ego tunc degustavi. Tantus nimirum fulgor ab aspectu ejus virgineo & divinitate perfuso egrediebatur.

De reliquis hujus vere aureæ domus ornamentis plus loqui superfluum planè cenſeo, quilibet enim facile concipere potest qualibus esse debuerit ornamentis decorata domus in quam intraturus, corpore novem mensibus, spiritu vero æternum commoraturus erat, Rex Regum & Dominus Dominantium. Potest tamen ipsum aliquo modo à contrarijs probari, quia nimirum teste *Guerrico serm. 1. in Assumpt.* nihil in ea fuit quod eam dehonestare aut deturpare posset. *O Fili inquit Dei nihil in illo tibi displicuit hospitio, quod tam libenter repetit, tamq̃ affluentem remunerat tua dignatio: nihil utiq̃ in illo sordidum offerdisti, quia nulla erat libido, sed purissima castitas: nihil ruinofum, quia nulla superbia, sed fundatissima humilitas: nihil obscurum, quia exclusa erat infidelitas: nihil angustum, quia diffusa erat charitas: adornaverat thalamum Virgo prudentissima, te Regem Christum non solum hospitem suscep-*

susceptura, sed & sponsum habitura: adornaverat inquam multiplici decore virtutum, & gloria, tanto fortassis locupletius, quanto interiorius totum erat: omnis namq; gloria filie Regis ab intus in simbrijs aureis circumamicta varietatibus, domum enim Domini hujusmodi decebat sanctitudo & decor. Et hic decor eum invitavit ut intraret, illexit ut rediret: intrans benedictionem multiplicabat, sed rediens cumulabat, cum intraret homo natus est in ea, cum rediret Deus: glorificatus est in ea. Hec auctor citatus. Sed jam ad alia properemus.

CAPUT VIGESIMUM
QUINTUM.

Encomium Marianum Trigesimum.

FOEDERIS ARCA.

INæstimabilia fuere olim beneficia quibus populum sibi dilectum Israëlitas existentes adhuc in Ægypto sub Pharaonis Regis jugo, & postmodum inde egresfos in deserto Deus affecit: præterquam enim quod per tot ostenta & prodigia eos inde eduxerit: Ægyptum tot plagis percutiundo, quarum tamen nulla attigit filios

Ec 4 Israël: